

B. N. II, 55.
h. 8, 12.

(X1876404)

II k
1456

Q. D. B. V.

DE

Mutatione Formæ
Statusque

S. IMPERII R. GERMANICI,

In

ACADEMIA LIPSIENSI,

Moderante

L. A. RECHENBERG, P. P.

D. XXVI. Sept. M. DC. LXXXVIII.

H. L. Q. C.

Publice differet

CAROLUS CHRISTOPHORUS Kömer/

Eqv. Misn.

LIPSIÆ,

Typis CHRISTOPHORI FLEISCHERI.

9
Vid. Clarysman
Dr. h. Jo. Val
Cherbois
Gyon. Dürck
bene mer

Ambo et
pharm
cu

A 10

674

MAXIME GENEROSO SUMMEQUE REVERENDO DOMINO,
DOMINO
CAROLO GOTTFR. BOSE,
DYNASTÆ IN NETSCHKA, NEU-
SCHOENFELS, BRUNNEN &c.

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS
SAX. AULÆ MARESCHALLO
SPLENDIDISSIMO,

ET
CAPITULI NUMBURGENSIS CANONICO,

AVUNCULO ET PATRONO SUO CUM
OBSERVANTIA COLENDO,

HANC EXERCITATIONEM POLITICAM

AMORIS ET DEBITI HONORIS CAUSA

D. C.

CAROLUS CHRISTOPH. Nömer,





B. C. D.

BREVIARIUM DISSERTATIONIS.

1. Civitatum & regnorum vicissitudo. 2. Imperii Romani & Germanici mutatio: 3. illa ex mutatione formæ, quæ varia est: 4. quænam regularis & irregularis, vel mixta. 5. Inde de statu publico judicandum. 6. Imperium Romano-Germanicum unde dictum. 7. Germaniæ antiquæ formæ regiminis & status: 8. mutatus à Carolo M. Imper. 9. Qui monarchicum effecit, & 10. in Germania αὐτοκρατορῶν fuit: 11. statum hunc ad posterios suos transmisit: 12. Qui monarchiæ quidem, sed non æquali cum ipso fortuna gavisi sunt. 13. Causa turbati status in Germania. 14. Post Carolingorum ætatem, Conradus electus: 15. Hunc excepit Henricus Auceps monarchicum obtinens statum: 16. Qui in successoribus suis seculo X. duravit. 17. Hunc Otto M. stabilivit jure in Romam acquisito. 18. Monarchicus status Henrici IV. tempore per Papam R. imminutus. 19. Friderico II. imperante majestas imperatoria propemodum concidit: Hinc interregnum & ἀναρχία. 20. Rudolphus I. instaurator imperii & status monarchici. 21. Hinc mutatio. 22. Sed major Carolo IV. Imper facta est condita A. Bulla: 23. nec minor Maximiliano I. imperante, qui judicium Camerale & Regimentum ex consensu Ordinum Imperii constituit: 24. Hinc monarchicus imperii status mutari cœptus. 25. Temporum hæc distinctio, deinde historia & Politicæ notitia necessaria, si quis de formâ statuque imperii moderni recte judicare velit: quod declaratur & probatur. 26. Addendum & instrumentum Pacis Osnabrug imprimis artic. VIII. 27. Hinc error vulgaris in juris publici scriptoribus notatur. 28. Discrimen inter formam imperii & modum administrandi simul notandum. 29. Inde conficitur, imperii statum

E,
S



modernum non esse pure monarchicum : quæ occasione D. Reinkingii argumenta pro monarchia allata discutiuntur : 30. nec Aristocraticum, quod Bodino & Hippolito à Lapide visum est : 31. nec Democraticum ; sed 32. aut mixtum aut irregularem, quod cum certâ cautela asseritur. 33. An in hoc statu tò monarchicum, an tò aristocraticum præponderet ? 34. Summa dissertationis repetitur & finitur.

§. 1.



Utm nihil in rebus humanis constans perpetuumque sit ; tum Regna & Civitates maxime variis mutationibus obnoxia sunt. Non de Regnorum in Asia primum florentium vicissitudine ac forte varia jam dicam ; Romanum, & quod huic quasi successit Imperium Germanicum documento esse potest, Regnorum vices non eodem semper statu gaudere.

§. 2.

Veteris Imperii Romani per omnes quasi formas reipublicæ devoluti mutationes, in compendio *Corn. Tacit.* argute 1. *Annal. c. 1.* recenset. Mihi hac dissertatione propositum est, ROMANO-GERMANICI STATUM, quem ex MUTATIONE FORMÆ DIVERSUM per temporum intervalla sustinuit, paucis exponere : Imprimis ideo, quod non observatis mutationum istarum periodis, magna in æstimandis de rebus imperii quæstionibus, confusio oriri soleat.

§. 3.

Utergo instituti mei ratio clarius constet, ex disciplina civili *primum* repetendum fuerit, quot & quænam rerumpubl. in universum sunt *formæ* communes, unde *status* earum mutatio præcipue determinari solet. *Deinde* verò ex historia nostra Germanica annotandum, quænam

nam ex illis Imperio huic per vices temporum mutatas aptari possit aut debeat. Ubi si primum animo reputamus, omnes rerum publicarum *formas* accidentales, aut *simplices* vel *regulares*, aut *mixtas* vel *irregulares* appellari posse; facile ex illarum definitione allata judicari poterit, quæ pro temporum diversitate ad hanc rempubl. potissimum quadret. Nam appellationem formæ hîc decreto aliquo Imperii, certis vocabulis determinatam fuisse, non memini in legibus publicis Imperii, à quoquam observatum fuisse.

§. 4.

Simplex proindè vel *Regularis* forma reipublicæ, *Illustri Dn. Pufendorffio L. VII. de J. N. & G. c. V. §. 2. 3. 14. 15.* definiente est: *Ubi summum Imperium in uno subjecto ita est unitum, ut illud indivisum & inconvulsam ab una voluntate, per omnes civitatis partes atque negotia sese dispenset: Ut in Monarchia, Aristocratia & Democratia pura fieri assolet. Ubi vero partes summi imperii aut Jura quasi divulsa, aut divisa sunt, & à diversis voluntatibus dependent, mixtam vel irregularem reipubl. formam emergere, necessum est. Quod vocabulum ex architectonica disciplina forte petitum cum aliqui fastidiant, talem per nos mixtam potius appellent, sumta ex physica doctrina alia voce. Utriusque enim distinctionis fundamenta discutere, hujus loci non est. vide infra. §. 28.*

§. 5.

Ex formæ indole dein de STATU IMPERII potissimum judicari debet. Qui nihil aliud est, quam habitudo reipubl. per quam illa durat ac quasi stat, & ad perfectionem naturæ suæ convenientem contendit. *Publicum* hic intelligi *statum*, quem Jus Publicum respicit, non eget probatione. confer *l. 1. §. 2. ff. de J. & J. §. 4. & D. Jo. Strauch. Institut. Jur. Publ. l. 1. tit. 1. §. 6.*

§. 6.

S. IMPERIUM ROMANO - GERMANICUM de
cujus MUTATIONE STATUS hic quæritur, unde ap-
pellationem habet, non est, cur simus solliciti; postquam
H. Conringius de Germanorum Imper. Romano c. X. & XI. &
Bœclerus in Dissertat. peculiari de S. Romano Imperio, Davidi
Blondello opposita, eandem fuisse satis explicarunt atque vin-
dicarunt. Germanice vocatur, *das H. Reich Teutscher*
Nation, v. *Recess. Imper. de anno 1532. & 1541.* item *das H.*
Römische Reich Teutscher Nation. confer *Limnei addit.*
ad l. 1. Jur. Publ. c. 5.

§. 7.

Hujus Imperii indoles ac status mutatio, quæ ex mu-
tata forma oritur, ut manifesta reddatur, opus est, inqvi-
rere in ejus natales aut primam originem, quæ in unius Im-
perii formam coaluit. Nam antiquis temporibus aliam,
plane faciem ejus fuisse, ex *Julii Cæsaris Lib. II. & VI. de B.*
Gall. Cornelio Tacito de Moribus Germanorum, & Phil. Cluve-
rio, de Germania Antiqua lib. 1. c. 73. constat. Quia, ut
Græcia & Britannia olim, in plures Civitates divisa, aut
democratias, aut his similes dynastias complectebatur: In
quibus Principes, & Reges suadendi magis autoritate,
quam jubendi potestate insignes essent. v. *Tacit. de Moribus*
Germ. c. 7. 11. 12. & 13. Cujus rei vestigia quædam etiam re-
gno postea constituto, remansisse *Ludolph. Hugo Exercit. de*
Statu Region. Germaniæ c. IV. §. 3. observat.

§. 8.

Enimverò cum parvæ Respubl. nisi arctissimo inter
se foedere, contra commune periculum connexæ sunt, fa-
cile collidi soleant, aut etiam externorum hostium inva-
sionibus pateant; non adeo mirandum est, si Germania
variis ante bellis intestinis defuncta, tandem à *Carolo M.*

sub-

679
subjugata novam Imperii faciem, quæ dicitur, *Monarchica*
vel *Regia*, induere cœpit.

§. 9.

Ab hoc ergo tempore, quo seculum à Christo nato
inchoatur nonum, *novus imperii Germanici status* ex nova
ejus forma innotuit. Carolus enim M. Imperator cum
Germaniam jure belli acquisivisset, regnum esse jussit. v.
Limn. J. P. l. 1. c. 5. & Conring. de imper. Germ. Rom. c. 8. & 9.
& de Finib. Imp. l. 1. c. 2. Quod ipse solus gubernavit: Le-
ges tulit, Privilegia suo nomine dedit, judicia instituit, in-
que iis supremo arbitrio nemini cessit: Magistratus &
Præfectos constituit: Tributa indixit: misit legatos: sus-
cepit bella & finiit solus: curam gessit sacrorum, dum le-
ges, quæ capitula vocantur, constituit & synodum etiam
Francofurti ad Moenum habuit. v. *Bæcler. in vita Caroli M.*
& *Jctum* eleganti eruditione insignem *D. Jo. Georgium*
Kulpisium in Comment. Acad. ad Monzamban. de statu Imperii
Germ. c. 1. §. 7. & 8.

§. 10.

Regia igitur autoritas ad plenum fastigium cum in
Gallia, tum in Germania ac Italia, Carolo hoc imperante
evaluit. Nam licet aliquando fideles suos consuleret &
negotia publica cum consilio optimatum regni tractaret;
vices tamen consiliariorum illos tantum obiisse, ex histo-
ria gestorum illius temporis colligi potest. Vetera Ducum
& Comitum nomina retenta quidem sunt, sed imminuta
eorum potestate. Nisi quod Saxonibus commune cum
Francis Civitatis jus indultum fuisse, *Conringius Exercit. de*
Civ. Imp. §. 29. probat. Nam ad concilium primores no-
bilitatis venisse, *Poëta Anonymus Annalium de vita Caroli M.*
ad ann. 803. auctor est. Confer à *Ferdinando Fürstenbergio*
editum Capitulare II. Caroli M. c. 2. & 9.

§. II.

Et certe nisi Carolus M. vero regiam ac *diversa populi*
 habuisset potestatem, regna sua, quæ conjunxerat, inter fi-
 lios iterum dividere non potuisset. Nam frustra est JCtus
 celeberrimus *Franciscus Hottomannus* in sua *Franco-Gallia*
c. VI. cum partium studio abreptus, regnum Caroli electio-
 ne ad posteros ejus transisse contendit. Testamentum e-
 nim Caroli, quo Regnorum divisio continetur, certissimo
 argumento est, dividendi potestatem illi fuisse. Etsi con-
 siliium illud minus utile ad robur Imperii tuendum fuit. v.
Eginhard. in vit. Caroli M. c. 33. & Petrum Pitheum, qui vitæ
Caroli M. ab Anonymo Engolismensi descriptæ illud subjun-
xit p. 283. seqq. item Goldastum Constit. Imperii tom. 1. ad ann.
806. adde Oth. Frising. Chr. lib. 3. c. 6.

§. 12. *Regium seu monarchicum hunc Imperii statum post*
Caroli M. excessum, ævo Carolingorum durasse, monu-
menta historiæ illius temporis comprobant; quippe quæ
sucessione & hæreditate etiam regnum Germaniæ ad po-
steros propagatum, regiamque potestatem conservatam
fuisse, magno consensu testantur. Quamquam & hoc con-
cedi debeat, quod non æquali cum Carolo M. semper au-
toritate, & prospero rerum successu filii posterique ejus
Germaniam tenuerint atque gubernarint.

§. 13. *Si causam inquiras, Bæclero in Rebus seculi IX. ani-*
madvertente, Ludovici Pii Imperatoris facilitas, Ducibus
Comitibus & Præfectis aliis in Germania peccandi fuit
illecebra; forma interim Imperii monarchica manente.
Post eum, regnante Ludovico III. Imperatoria quoque
dignitas eviluit; cum domi factionibus, rebellionibus &
incurSIONibus hostilibus in festaretur. Nam exauctora-
 tio

tio ejus omnibus modis injusta non abrogavit statum monarchicum. Nec Caroli Crassi, qui imperii autoritatem iterum firmaverat, fortuna constans fuit. Nam postquam sparsa hactenus in tot partes regna, in unam potentiae molem rede-gisset; tandem deficientibus corporis animique viribus, etiam à fortuna destitutus est. Quia post divortium cum uxore Richarda æger animo & corpore de summo fastigio ad imas miseras recidit. Nam ut *Regino & Annales Metenses* memorant, in Triburiensi conventu, optimates Regni, cernentes non modo vires corporis, verum etiam animi sensus ab eo diffugere, Arnolphum filium Carolomanni ultro in Regnum attrahunt & subito facta conspiratione, ab imperatore deficientes, ad prædictum virum certatim transeunt: ita, ut in triduo vix aliquis remaneret, qui ei officia saltem humanitatis impenderet. Cibus tamen & potus ex *Luidperti Episcopi sumtibus administrabantur*: donec scilicet, quod sequitur, *Arnolphus Rex nonnullos fiscos in Alemannia, unde ei alimonia præberetur, concessit.* v. *Otton. Frisingens. l. VI. c. 9. Sigon. de R. Ital. l. V. circa finem.* Quod magnum quidem vicissitudinis rerum humanarum exemplum notari meretur; sed causa destitutionis considerata, ullam inde status regii mutationem factam esse, argui nequit. Quia, quod corruptis hominum moribus Ordines aut Proceres Imperii tum fecerunt, status ut ita loquar essentiam non mutavit. Quamquam hoc exemplum pro abroganda Cæsarum potestate, vulgo adduci soleat cum aliis, quæ recentior historia memorat. v. *Bæcleri Notit. Imper. l. IV. c. I. n. IV.*

§. 14.

Finita cum nono seculo Carolingorum in orientali regno familia, Imperium Germanicum electione & suffragatione Procerum Imperii, imprimis Ottonis, Saxoniae

B

Du-

Ducis votò, Conradò Francorum Dux ac Princeps indeptus est. Qui, etsi electus Imperator tantæ moli & dignitati haut impar esset; regiam tamen potestatem contra æmulos dignitatem hanc ipsi invidentes, vix tueri valuit. Nam literis proditum habemus, multos Principes in Germania hoc imperante, potentia & opibus increvisse. v. *Lehmanni Chr. Spir. l. IV. c. 1.* Defunctus bellis intestinis, quæ contra Gisbertum Lotharingiæ, Arnulphum Bavariæ, Henricum Saxoniam Duces gessit, jam morti vicinus, præterito fratre suo, HEINRICUM AUCIPEM successorem Imperii designavit. Qui ad id fastigii & culmen honoris eventus, dignitatem ac potestatem regiam stabilire iterum, haut infeliciter contendit.

§. 15.

Christophorus quidem *Lehmannus* in *Chronico Spirensi* loco jam allegato, Henrico rerum potente, magnam status regiminis commutationem factam fuisse scribit. Quia Duces, comites, marchiones dignitatum Officiorum ac magistratum hæcenus nomina, proprii juris potestatem & possessionem hæreditariam notare cœpissent; Civitates etiam & urbes per Præfectos Regios gubernari solitæ in libertatem assertæ fuissent. Enim vero *Bæclerus* in *Henrico I. de Reb. Sec. X.* notat, parum definite hæc describi; cum nulla alia libertatis diætæ exempla suppetant, quam quod Henricus nondum Rex, paternum ducatum hæditario Jure suscepit: & deinde, quod Imperator factus, Arnulpho Bavariam plenissimo beneficii Jure concesserit. Certe si Principum ac Ordinum Germaniæ libertas Henrico Imperante, tanta augmenta cepisset, ut cum Imperatore divisum velut Imperium tenuissent, Ottonum, quæ sequuntur temporibus, non statim ita exolevisset, ut ejus ne vestigia quidem manifestiora in historia comparerent. v. *Ott. Frisingens. Chronic. l. VI.* §. 16.

§. 16.

Nulli ergo dubitamus, etiam hoc X. seculo, quo penes Saxones summa Imperii fuit, asserere, in Germania *Monarchicum* adhuc *imperium* obtinuisse, & deinde per successionem ad Imperatores magis, quam electione transisse. Heinrico enim patri successit Otto filius, qui virtutibus, fortuna ac rebus gestis cognomentum *Magni* implevit. Hunc filius & nepos Otto secuti sunt. Qui etsi patri moribus & rerum gloria inferiores essent, regiam tamen potestatem statumque retinuisse, nec Jura Imperii cum Proceribus communicasse leguntur. Licet ritu certo & Imperii formula inaugurati fuerint: quæ forte aliquam Procerum hac in parte arguere potestatem videri possunt. Verum illa, ad solennia ceremoniarum in Principum inauguratione referri debere, similia inaugurationis regiae exempla docent. v. *Wittichindi L. II. Annal. 4. Chronicon Spirensse l. V. cap. 3. Freberus in Origin. Palatin. c. 25.* inde colligit simulacra quædam officiorum solennium, quæ Electores nunc in electione Imperatoris, juxta *A. Bullæ* formulam obire solent, jam Ottonis M. tempore extitisse. confer *Conring. Dissertat. de Official. Imper. §. 12. & 13.*

§. 17.

De cetero, ut in summam quasi redigamus, quæ de seculi decimi periodo, qua Ottones eminuerunt, leguntur annotata; concludimus, Imperatorum Romano-Germanicorum potestatem fuisse summam & plenam, adeoque *statum* vere *regium* obtinuisse. *Otto* enim I. ut in Germania solus summum Imperium tenuit; ita in urbem Romanam & Episcopum R. non sibi tantum; sed & successoribus suis in Regno Germanico, jus perpetuo valiturum acquisiverat; ut instituere & destituere Episcopos Romanos posset. v. *Conring. Libr. de Germanor. Imper. Rom. c. X. & de*



Finibus Imperii German. c. IX. Papa Hildebrandus, qui Gregorius VII. audit, primus fuit, qui ausu temerario, jus investimenti Episcopos, postea imperatoris manibus excutere conatus est, decretis scilicet conditis, quibus omnis omnino constituendi & eligendi episcopos potestas imperatori Henrico IV. abrogabatur. Quo vim auctoritatemque Imperatorum valde imminutam, ac adeo statum etiam quodammodo mutatum fuisse, quivis facile intelligit. v. *Onuphrium Panvinium in Histor. Vita Gregorii VII. à Jesuita Gretsero publicata, & Maimbourgi Histoire de la Decadence de l' Empire libr. III. p. 215. seqq.*

§. 18.

Post Ottonum tempora, Imperium pristinam quidem formam retinuit monarchicam; sed jure Imperii quodammodo cum statu immutato. Henricus enim IV. Imperator circa medium seculi XI. factus, ab Hildebrando diu divexatus, sibi tandem jus constituendi Episcopos, quod pars Imperii seu majestatis regiae fuit, extorqueri passus est. Ea res, inquit *Paulus Æmilius* scriptor rerum Francicarum insignis, *multum virium imperatoriae majestati detraxit in animis popularium, plus enim quam dimidium suae jurisdictionis perdidit.* De hoc nefario Pontificis ausu, multum in hunc usque diem disceptatum fuit. Scripta quæ huc faciunt, *Goldastus* in magnum opus, titulo *Monarchia Rom. Imperii* inscripto, collegit. Equidem Henricus V. jus hoc patri ademtum vindicare moliebatur; verum excitationis per Papam gravissimis rebellionibus, accedentibus etiam Papali fulmine & Episcoporum diris, in comitiis Wormatiensibus anno MCXXII. Jure hoc ad Majestatem pertinente cedere coactus fuit. v. *Helmold. l. 1. Chron. Saxon. c. 40. & Lehmanni Chronic. Spirens. L. V. c. 42.*

§. 19.

Fridericus I. quem Itali Barbarossam vocant, seculo duodecimo vergente, illud Jus ablatum, ceu strenuus iurum Imperii defensor recuperare studuit. Quia referente *Ottone Frisingensi Chron. l. VII. c. ult.* auctoritatem & potestatem, quam Pontifices sibi arrogaverant, in ordinem redigere annisus est. Enimvero ita evaluerat Pontificis potentia fraudibus clericorum conjuncta, ut conatus ille fuerit frustra. Imo post excessum ejus, omnia in pejus ruere coeperunt. Nam accisa imperatorum auctoritate, Pontificis feralia inter Germaniæ Principis dissidia a lentis semper prævaluit: Donec Friderico II. Imperante, Imperatoria majestas propemodum tota concideret, & insecto obitu Friderici jam nominati, *interregnum* & cum eo turbæ infelicissimæ nascerentur, Imperium pessundaturæ, nisi tandem novus prudentia & belli gloria insignis Imperator, Rudolphus nempe Comes Habsburgicus electus fuisset.

Hic, ut convulsum imperii statum restauraret ac stabiliret iterum, nulli pepercit operæ. Ut inde scriptores historiæ civilis non immerito ab hoc Principe, qui solenne *instauratoris Germaniæ* elógium meruit, novam Imperii velut Epocham seu periodum constituere soleant. Quia sublata *avæxiæ* Germaniæ, quæ interregni tempore fuit, collapsum & in partes quasi divulsum imperium redintegravit & firmavit, ab Episcopis & Principibus statim fidei juramentum exigens. Quod cum illi sub prætextu sceptri absentis detrectare viderentur, *Rudolphus* crucis signum, quod præsto fuerat, exhibuit: *Ecce dicens, signum, in quo nos & totus mundus est redemptus, & hoc signo ut amur loco sceptri.* Quo præsentis consilio artes tergiverfantium



Principum elusit. v. *Freherum tom. I. f. 388.* Hoc tempore Principum & Ordinum Germaniæ potentiam increvisse, *Julius Pflug, Episcopus Numburgensis, in libello de Statu Germaniæ* observavit.

§. 21.

Mutatio ergo hoc Imperatore, quod confusum interregni statum attinet, insignis facta est. Nam pristina imperii forma monarchica, facta electione, revocata fuit. Quam sublatis, quæ interregni tempore exortæ in Germania fuerant, turbis, stabilire iterum, conciliatis sibi Procerum Imperii affinitatibus annisus est. v. *Lehm. Chron. Spirense libr. V. c. 104. 107. sequ.* Post Rudolphi hujus excessum, per Adolphi & Alberti molitiones tranquillitas imperii quidem turbata fuit; sed forma statusque monarchicus, ut ante, etiam hac turbulenta rerum facie duravit. v. *Aventini Annal. Bojor. l. VII.*

§. 22.

Cum post Ludovici Bavari excessum Carolus IV. tribus ab hinc seculis ad Imperii fastigium evectus esset, aucta fuit Electorum potestas, præscripta nova regiminis Germanici formula, quæ *Aurea Bulla* vocatur. In ea nomina quidem illustria summi fastigii Cæsaribus relicta, sed Jura Imperii quædam cum Ordinibus in solidum communicata fuisse, Commentarii in A. Bullam scripti comprobant. *Bæclerus dissert. Polit. XX. Inst. Polit.* conjicit, ex hac formula deinceps capitulationes Cæsareas, tanquam anti-typum ex typo prodiisse. Quare ex hoc tempore *formam Imperii Monarchicam* una cum statu mutatam fuisse, facile colligi potest. Ubi enim partes summi Imperii non sunt penes unum, ibi purus status monarchicus esse nequit: Jam verò per A. Bullam Proceribus quædam Imperii Jura concessa fuisse, in aperto est.

§. 23.

687

Aucta ergo Carolo IV. regnante Procerum potestate, arduum fuisset Cæsaribus hunc insecutis illam imminuere voluisse; cum ut laudatus *Pflugius l. c.* observat, Principes à Jure inveterato sponte sua decessuri non sint: quin potius augere potentiam laborarint. Quod Maximilianus I. princeps virtutibus heroë dignis ornatus, intelligens, primum ipse cum Ordinibus Imperii Judicia constituit: Quæ sub primis Imperatoribus Germanicis vel concilio omnium Ordinum, vel solius arbitrio Principis, vel per Legatos ejus & comites agitabantur. Quæ res olim multa incommoda traxit, tum quod grave esset litigantibus Cæsarem per varia negotiorum & locorum distractum sequi Judicem, & justitiæ administrationem repetere; tum quod sumptibus & molestiis sic gravarentur Ordines & Cives Imperii. Hanc ob causam Judicium Camerale, *des Kensors und des Reichs Cammer - Gericht* anno 1495. Wormatiæ, lege publica constitutum est. Quod cum deinde Norimbergam translatum esset, tandem Carolo V. ordinante, Spiram velut perpetuam sedem nactum est. v. *H. Conring. de Judic. Reipubl. Germ. diff. Limn. tom. 2. Addit. ad l. IX. c. 2.* Tenor ejus habetur articulis XXVI. in Recessibus Imper. Hoc ut Jurisdictionem suam non à solo Cæsare, sed simul quoque à ceteris Imperii Statibus, non quidem ut singulis, sed ut universis acceperit, *Jo. Strauch. Exercit. Exoter. XII. 5. contra Paumeisterum ostendit.* conf. *Carpz. Leg. Reg. IX. 2. 12. & Lampadium de Constitut. Reipubl. R. G. part. III. c. 16.* Inde multa antea per vim acta, & discordiæ intestinæ armis subinde disceptata, fuerunt sublata, visque illa publica, constituta *pace publica* (*der Königl. Land-Friede und Handhabung des Friedens*) salutari consilio coercita fuit. v. *Andrea Gailii insigne de hac pace, opusculum.*

lum. Pertinet huc *institutio Regimenti* in Comitibus Augustanis anno 1500. facta. Nam placuerat Maximiliano I. & Ordinibus Imperii, præter Imperatorem ejusque Legatum, viginti viros ex Ordinibus eligi, qui essent loco Senatus Imperii, plenam potestatem haberent Jus ac Justitiam administrandi petentibus Imperii subditis, pacem ac tranquillitatem publicam tuendi, bella contra Turcas & alios Imperii hostes suscipiendi, & nequid ad subita deesset consilii auxiliiqve, consultandi & statuendi quid toti imperio expediret. v. *Recess. Imper. ann. 1500. Ordnung des Regiments.* Quæ constitutio tandem crescente Caroli V. auctoritate ac potentia in desuetudinem abiit. v. *Tob. Paurmeisteri de Jurisdic. l. II. c. 2. §. 11. Limn. ad Capitul. Caroli V. artic. 3. & Schüzii Jur. P. vol. 1. Exercit. X. n. 16.* Post Maximiliani I. obitum, svadente tempore & personæ electæ conditione, exteris scilicet dominantis, præscripta capitulatione arctius potestas imperatoria restricta fuit. v. *Goldast part. II. der Reichs-Satzungen fol. 181. & Limnæum,* qui capitulationem cum explicatione exhibet. Accedente deinde reformatione Lutheri & hanc insecuta Pace Passaviensi, Principum & Statuum Protestantium potentia insignia cepit incrementa. Quam cum Ferdinandus II. Imperator læto armorum successu primum gaudens infirmare, magno nisu moliretur, post adversa belli fata, pax Osnabrugensis exoptatissima insecuta, jura & potentiam Ordinum magis confirmavit. Ac adeo status publici mutatio facta est insignis.

§. 24.

His constitutis, adparet, potestatem Imperatoris monarchicam angustioribus limitibus fuisse circumscriptam, statumque Imperii inde non parum immutatum. A scopo ergo multum abludere videntur, qui in determinanda

nanda quaestione, (QUALIS IMPERII ROM. GERMANICI MODERNI FORMA AC STATUS SIT?) non satis temporum vices ac periodos, quæ Carolum IV. & Maxim. I. ætatem antecedunt, & quæ eam consequuntur, distinguunt. Sane ante A. Bullam conditam, monarchiam liberiores obtinuisse, nemo historiae gnarus negarit. At vero illa publicata, & postea aliis constitutionibus & Capitulationibus præscriptis, istam Monarchicam potestatem valde restrictam, imò mutatam fuisse, in aperto est.

§. 25.

Proinde si de forma statuque Imperii, qualis nunc est, judicare quis recte velit, tempora primum distinguenda veniunt; deinde vero *fundamentum* quaestionis recte ex politica doctrina præstruendum est. *Hoc* autem est vel *generale*, & ex Civili doctrina petendum; vel *speciale*, non ex Jure Canonico aut Civili Romano Veteri, sed legibus & constitutionibus Imperii publicis, quas historia pragmatica vel exhibet, vel illustrat, desumendum est. Prius suggerit indubium axioma politicum, *Formam Imperii accidentalem ex subjecto existentia Majestatis estimandam*; ita, ut ubi summa potestas seu majestas plena sit penes unum, ibi sit Monarchia; & invicem, ubi majestas non est penes unum, sed partim penes unum, partim penes plures; ibi proprie loquendo non sit *monarchicus*, sed status vel *mixtus*, vel *irregularis*. Quod prius fundamentum cum *Bœclero* & *Dialecticis* diceret *propositionem majorem*, ex Politica quippe scientia petitam; alterum, quod *Leges Publ. Imperii* suppeditant, ac istius axiomatis applicationem ad rem præsentem continet, *minorem syllogismi politici* constituit *propositionem*. Unde inter se aptatis, *conclusio* sequitur, quæ judicium de statu Imperii præsentis exhibet. Id quod voluit *Bœclerus in dissertat. jam*

C citata,

gu-
&
ga-
na-
am
an-
lios
ffet
im-
des
roli
Tob.
Ca-
Post
ele-
ota
t. v.
ma-
cce-
Pa-
po-
nan-
gau-
belli
z po-
tatus

toris
ncri-
um.
ermi-
nanda



citata, quando ait: modus disputandi in hac questione, syllogismi principalis major ex politicis definienda (quam torquent aliqui & macerant, dum solidam politices cognitionem non sunt affecuti,) Minor seu assumptio ex A. Bulla, Capitulatione Cesarea ceterisque Imperii Constitutionibus & pragmaticis sanctionibus, exercitioque seu praxi jurium majestatis desumenda venit.

§. 26.

Præterea cum in memoratis jam Imperii Constitutionibus, quædam in dubium antea vocata fuissent, quæ vel Imperatoris vel Ordinum ac Statuum Imperii Juribus derogare poterant, magno libertatis Principum tuendæ bono, in *Instrumento Pacis Monasterio-Osnabrugensi*, illa vel determinata vel declarata sunt. Ut vel hanc ob causam, illud etiam consulendum sit, si quis de hodierno Imperii statu sine confusione judicare aut pronunciare velit. Cum primis verò *Articuli VIII.* laudati jam Instrumenti, quo Principum & ordinum Imperii jura atque potestas stabiliuntur, tenor inspiciendus est, qui fundamentum status publ. moderni continet: ut autem (ita paciscentes statuunt) *provisum sit, ne posthac in statu politico controversiæ suboriantur, omnes & singuli Electores Romani in antiquis suis juribus, prerogativis, libertate, privilegiis, libero Juris territorialis tam in ecclesiasticis quam politicis exercitiis, ditionibus, Regalibus, horumque omnium possessione, vigore hujus tractationis ita stabiliti firmatique sunt, ut à nullo unquam sub quocunque pretextu de facto turbari possint vel debeant. Gaudeant sine contradictione jure suffragii in omnibus deliberationibus super negotiis Imperii, præsertim ubi Leges ferendæ, vel interpretandæ, bellum decernendum, tributa indicenda, delectus aut hospitales militum instituentia, nova munimenta intra statuum ditiones exstruenda, nomi-*

ne

ne publico veterave firmanda praesidiis, nec non ubi pax aut foedera facienda, aliave ejusmodi negotia peragenda fuerint; nihil horum aut quicquam simile posthac unquam fiat vel admittatur, nisi de comitali liberoque omnium Imperii Statuum suffragio & consensu; cum primis vero Jus faciendi inter se & cum exteris foedera, pro sua cujusque conservatione ac securitate, singulis Statibus perpetuo liberum esto; ita tamen, ne ejusmodi foedera sint contra Imperatorem & Imperium pacemque ejus publicam, vel hanc imprimis transactionem, fiantque salvo per omnia juramento, quo quisque Imperatori & Imperio obstrictus est. In §. 4. articuli hujus liberarum Imperii Civitatum jura exprimuntur. Si, quod in §. antecedenti statuitur, certa etiam constansque Caesarea Capitulatio fuisset concepta, & anteriorum conventuum seu Comitiorum defectus sublatis, ceteraque ad Imperii statum pertinentia simul fuissent ordinata; haud dubie, quod proximum quaestio- nis praesentis fundamentum diximus, clarius determinari posset. Interim hinc cognoscas, jura Imperii, constitu- tione hac publica Ordinibus & Statibus Imperii fuisse confirmata; ut jure meritoque hoc Pacis instrumentum, Palladium libertatis Principum & Ordinum Imperii dici queat.

§. 27.

Has temporum periodos diversas ac mutationes cir- ca jus Imperii factas dum aliqui, non, ut par fuit, distinxe- runt: nec quae ex politica doctrina petenda fuerunt, con- venienter adplicuere, in forma statuque Imperii determi- nando impegerunt. Accedit & alius error non minus vulgaris in publici Juris scriptoribus, inter formam Imperii & administrandi ac gubernandi modum, qui saepe diversam objicit speciem, non satis distinguentibus. v. Arnisei de Republ. l. II. c. VI. §. 4.

llo-
or-
nem
ula-
na-
de-
tu-
quæ
bus.
ndæ
vel
m.
erii
elit.
nti,
stas
sta-
tes
ver-
nti-
Ju-
itio,
igo-
ullo
vel
n o-
ubi
tri-
uen-
omi-
ne

622.

Forma, ut cujusvis reipublicæ, ita S.R. Imperii est vel *Essentialis*, quæ consistit in *ordine Imperandi & paren- di*, h. e. nondum considerata, ut in Principe, aut Senatu aut populo existit; *accidentalis forma*, vocatur idem ille ordo, quatenus uni vel pluribus ex Civitatis decreto fuit collatus; adeoque inde Civitas nomen accipit ac ab alia distinguitur; ita, ut si majestas in uno existat subjecto, MONARCHIA, si in uno pluribus iisque paucis optimati- bus, ARISTOCRATIA, si in multis vel omnibus indivi- sim, DEMOCRATIA appelletur. *Administrandi vel gu- bernandi modus* constat exercitio Jurium Imperii vel acti- bus imperandi exterioribus, qui manente forma & statu in eodem quasi loco, sæpius variare solet. Adeoque ex *administratione status* non semper de forma Reipubl. judi- care debet. Deinde quoque *distinctio inter vitia hominum, & vitia status*, quam vir summus Dn. Pufendorfius de J. N. & G. L. VII. 5. 10. suggerit, hic attendi debet. De statu e- nim Reipubl. non ex abusu jurium Imperii; sed ex Legibus fundamentalibus statum illius describentibus judican- dum est. Ita ut, quod H. Grotius de J. B. & P. Lib. 1. c. 3. §. 17. submonet, huc trahi queat: *De summa potestate judi- candum esse non ex eo, quod optimum huic aut illi videtur sed ex voluntate ejus, unde jus oritur.*

His fundamenti loco præstructis, facile quivis per- videre potest, formam Statumque Imperii R. Germanici hodie non amplius esse pure Monarchicum; cum Maje- statis Jura in eo sint divisa, ut quædam Imperatori soli (*Reservata* dicuntur) alia eidem cum Ordinibus commu- nicata competant. Equidem Reinkingius de Regim. Sec. & Eccles. l. 1. Class. 2. cap. 2. §. 54. variis argumentis evincere con-

contendit, obtinere hodieque statum purè Monarchicum. Verum ex fontibus jam indicatis illa facile dilui posse, quivis philosophiæ politicæ ac historiæ peritus intelligit. Nam 1) fallit, quando Imperatori R. summam & legibus solutam potestatem in cives & subditos Imperii soli tribuit. Aliud enim ex A. Bulla, Capitulationibus, Constitutionibus Imperii & Instrumento pacis Osnabrug. loco allegato probari potest. 2) Lex Regia Romanorum, quam cum Capitulatione confundere videtur, apud Germanos nunquam recepta fuit, multumque ab hoc differt, quia illa apud Romanos Principi absolutam ac liberam potestatem conferebat: Capitulatio autem adstringit Imperatorem, limitesque certos potestati Cæsaris figit, quos ipsi transgredi non licet, v. *Limn. Proleg. ad Capitulationem Cæsaris sect. X. §. 5. & Carpzovii Comment. in L. Reg. c. 1. n. 2. & Bæcleri Inst. Polit. l. 3. c. 8.* 3) urget titulum Imperatoris Monarchæ, quem illi ab omnibus Regibus & populis fidelibus & infidelibus tribui affirmat. At verò ignotum non est, titulum hunc partim ex veteri consuetudine Imperii, ut alios à quibusdam adhuc usurpari ipsique tribui, (v. *Jul. Cæsar. Bulengeri l. 1. de Imperator. & Imp. Roman.*) partim etiam negari potest, exteros Reges & populos omnes hodie hoc titulo illum insignire. v. *Limn. l. 1. c. X. §. 47.* 4) contendit, Imperatorem summum esse; quia nullius imperio tenetur, & quia Cives universos & singulos coercere potest, omnesque illi tenentur rationes reddere: imo, quia omnibus & singulis ex plenitudine potestatis imperare possit: quod veri Monarchæ certum argumentum interpretatur. Enimverò, utut concedi debeat, Imperatorem esse summum in Imperio Principem, quod *D. Strauch. in dissertat. Exoter. IV. §. 28. & Institut. Juris Publ. lib. 1. tit. IV. §. 5. & 6.* defendit; tamen exinde plenitudi-

vel
en-
atu
lle
fuit
ia
to,
ati-
ivi-
gu-
cti-
atu
e ex
idi-
um,
f. N.
e-
bus
an-
3. S.
udi-
sed
per-
nici
aje-
soli
mu-
c. &
ere
con-



nem potestatis probari non posse, *laudatus Strauchius* citato loco §. 6. 7. 8. contra *Stamlerum* solide evincit. Quamquam etiam *Boeclerus* existimat, Imperatorem non posse simpliciter summum dici; cum ab Imperatore ad imperium appellari possit, quod probat *Limn. J. P. Lib. II. 9. 107. & seqq.* Deinde satis etiam constat, Imperatorem, suo nomine, non conjuncto imperio, non posse universos & singulos Imperii Cives, ubique & semper coercere, aut illis imperare. Quid enim opus esset Ordinum Imperii in præcipuis negotiis consensu, si Imperator id ex plenitudine potestatis posset? confer *Limn. Prolegom. ad Capitul. Cæs. (ar. sect. VIII. §. 6. sed Reinkingkii §. 82. pertendit)* ex alio titulo monarchicum Cæsaris statum evincere: puta, quod Imperator Ordinum Imperii & Procerum Dominus clementissimus vocetur. Ad hoc *Limn. Jur. Publ. L. 1. cap. X. §. 4. 8.* respondet, non ex titulorum splendore de maiestate judicandum esse. Et bene *Boeclerus dissert. cit.* observat, quod verbo clementiæ, aut *ἐυεργατίας* nulla potestas Imperatoris, sed virtus imperantium denotetur. 6) pergit §. 83. 84. 85. seqq. urgens, omnes & singulos (Ordines Imperii) obedientiam & subjectionem Cæsari, tanquam Domino & magistratui supremo debere, ac præstito homagio non tantum fidelitatis, sed etiam subjectionis, jure adstringi maxime. Ubi primum notandum est, vero non congruere, omne & singulos Imperii proceres collective acceptos, obedientiam & subjectionem Cæsari, ut Domino & summo Magistratui debere; deinde obsequium, quod debetur Imperatori, non simpliciter capiendum est, sed in quantum Imperium aliqua suo nomine per imperatorem vult expediri. Adeoque singuli ordines parent Cæsari conjuncto Imperio, cujus nomine simul aliquod edicit aut prohibet. Homagium ab Ordinibus non soli Cæsari,

fa
ju
63
N
gu
de
bu
Ge
217
sta
Bo
Sta
do
tur
per
par
cto
alle
reti
reg
re v
stat
Bo
bell
cler
qvi
tam
mix
statu
enir

fari, sed Imperio simul & quidem salva sua libertate, suisq;
 juribus præstari ex formula Juramenti à Reinkingio pag.
 63. adducta apparet, dem Römischen Keyser und NB. dem
 Reich treu/hold/gehorsamb zu seyn. Plura ad hoc ar-
 gumentum dilucidandum reponit *Limn. J.P. Lib.1. c. X.* ad-
 de *Bœcleri Instit Polit. l. III. cap. 8. & Not. ac Animadv. post-*
hum. ad Dan. Ottonis Jus Publ. c. VII. Monzamb. de Statu Imp.
Germ. cap. VI. §. 6. & in hunc D. Kulpisii comment. Acad. pag.
217. seqq.

§. 30.

Non meliori philosophia politica imbuti sunt, qui
 statum Imperii *Aristocraticum* asseruere. Inter quos *Jo.*
Bodinus de Republ. L. II. c. 6. & Hippolithus à Lapide de Rat.
Stat. Imper. part. 1. cap. 2. 3. & 17. Enimvero, si ex politica
 doctrina repetatur definitio Aristocratia veræ, & applice-
 tur Reipubl. Germaniæ in constitutionibus & Legibus Im-
 perii publicis descriptæ, adparebit, sententiam hanc ex
 partium studio allatam, falsissimam esse. Equidem Ele-
 ctoris Moguntini Alberti vox in hanc rem ex *Sleidano l. I.*
 allegari solet, dicentis *Aristocratiam Germanis præcipue*
retinendam esse. Verum non accurate Præsulem juxta
 regulas scientiæ civilis locutum esse, nihilque aliud dice-
 re voluisse, *quam dandam esse operam, ut in mixto Imperii*
statu pars aristocratica valeat, Monzambanus observavit.
 Bodini & Hippolithi personati argumenta admodum im-
 bellia laudatus *Monzambanus libr. alleg. C. VI. §. 4. & 5. Bæ-*
clerus in Annot. ad Jus Publ. Ottonis c. 8. confutarunt. His
 quidem citatus *Kulpisius vir doctissimus* adstipulatur; sed
 tamen ut Imperii statum ex Monarchia & Aristocratia
 mixtum esse, facilius probari queat, analogum quoddam
 status aristocratici in Imperio hoc nostro agnoscit. Hanc
 enim ob causam in *commentat. Academic. citatis Part. 2. p.*



696
203. *seqq.* Monzambani rationes, quibus Aristocratiam ex-
cluserat, valere tantum contra *simplicem meramque Ari-*
stocratiam; non verò refutandis omnibus institutis Ari-
stocraticis, quæ ibidem recenset ac in imperio hoc de-
prehendi affirmat, concludens tandem p. 2. 6. *esse aliquid*
in Imperio nostro Aristocratici, de quo tamen ex proposito sibi
uno alterove Aristocratia alius exemplo, iudicium non feren-
dum sit. quæ in parte *Limnaum J. P. Lib. I. C. X. §. 12. & 42. seqq.*
secutus videtur: qui Aristocraticum præponderare hic
existimat. Quod si laxè & minus proprie loqui velis, facile
admitti potest.

§. 31.

Democraticum Imperii statum esse, nemo, quod sciam,
serio defendit. *J. W. Relfensio Heromontanus, sive quod ve-*
rum ejus nomen est, Rosenfeldius, Heldeburgensis Francus,
libello suo de *summa Principum Germanicorum potestate,*
pro hac sententia quidem aliqua attulit, sed vaga admo-
dum & autori ipsi mox refutata. Et sane si quis defini-
tionem Democratia & omnia, quæ in historia extant, De-
mocratiarum exempla inspiciat, eaque cum statu Impe-
rii Germanici conferat, nihil democratici deprehendet.
Quæ enim ex definitione *Civis Aristotelica a Conringio in*
Exercit. de civibus Imperii declarata, huc forte trahi aut
applicari possent, *doctissimo Kulpisio in Commentat. suis in*
Monzambanum p. 200. animadvertente, Imperium esse De-
mocratiam, minime probare idonea sunt.

§. 32.

Cum ergo, ut ex dictis patet, simplex rerum publ. forma
Imperio nulla assignari queat; restat, ut alia illi forma as-
signetur, quæ, quo nomine appellari debeat, inter summos
utique viros disceptari solet, aliis & quidem pluribus
mixtam, Monzambano verò cum amplissimo Rachelio Dissert.
de

de Capitulatione c. 6. & Introduct. ad Jus Publ. l. I. tit. 40. n. 4. irregularem statuentibus. Quem dissensum componere prolixioris forte operis res videtur, quam quæ dissertatione hac brevi comprehendi possit, v. Illustris Dn. Pufendorfi dissert. de Republ. irregulari. Nisi forte placeat via jam supra ostensa incedere: hoc est præmittere tum *mixta*, tum *irregularis* reipubl. definitionem; & deinde videre utra illarum juxta leges & constitutiones Imperii, Statui Germanico conveniat. Quo facto, manifestum erit, quomodo quæstio illa juris publici, a Boeclero in Not. ad Otton. J. P. p. 16. CAPITALIS, a Limneo vero J. P. Lib. I. c. X. §. 11. SABBATHINA & MAGISTRALIS dicta, defini-ri debeat. In utraqve vero sententia concedi ante debet, quod respubl. *mixta* & *irregularis* detur, vel dari possit. Frustra enim disputaretur; an Imperii Status sit MIXTUS, an IRREGULARIS; si nondum liqueat, an talis forma Civitatis uspiam reperiri queat. Quibus præsuppositis, ulterius inquirendum venit; an si quis alterutram hic sententiam amplecti atque defensum ire velit, ideo peccet? Ubi Boecleri cautelam, quam lib. XXII. Notit. S. R. Imperii c. 2. suggerit, observandam putamus: *in omni bene constituta Republ. de forma & statu Reipublicæ nemini licere aliter loqui, quam leges publicæ loquuntur & decernunt.* Unde colligas injurios esse in libertatem Ordinum & Statuum Imperii, qui Statum *Monarchicum* cum *Reinkingio* & aliis acriter propugnare audent: & contra, qui cum *Bodino* & *Hippolito* *Aristocraticum* fingunt, impingere in leges Imperii publicas, quæ Cæsari & jura Reservata & prærogativas cum elogiis monarchicis diserte vindicant. Sed quia nullo etiam imperiali decreto constitutum est, quod forma reipublicæ Germanicæ *mixta* sit; non putârim injuriæ in imperium postulari posse; qui illam diceret *irre-*

D
gua.

x-
ri-
ri-
le-
vid
sibi
en-
qq.
hic
cile

am,
ve-
cus,
e,
no-
ini-
De-
pe-
det.
io in
aut
in,
De-

rma
a as-
mos
ribus
sert.
de



gularem: quia non ad regulares in orbe alias terrarum, notas formas referri queat. Tutissimum tamen fuerit, si quis varias hominum censuras nolit incurrere, tantisper *medium inter Monarchiam & Aristocratiam, vel ex utraq; mixtum statum*, cum majori juris publici scriptorum parte, statuere. Ita tamen, ut *mixtionis* vocabulum non in rigore juxta regulas physicorum, sed κατ' ἀναλογίαν & laxius paullo accipiatur. Confer quæ in hanc sententiam differit elegantissimus publici Juris Scriptor, *Dn. Kulpisius in commentat. cit. p. 224. seqq.*

§. 33.

Si verò ulterius progrediendo quæras; *utrum in hac mixtura, Monarchia an Aristocratia prævaleat?* curiosam, magis, quam utilem quæstionem esse, *Bœclerus libr. cit. c. 3.* existimat. *Limneus J. P. lib. I. c. X.* Aristocratiam præponderare statuit. Contra *Carpzovius Comment. de Leg. Regia cap. XIII. num. 10.* Monarchiæ lumen clarius apparere ac adeo prævalere monarchicum autumat. Cui sententiæ accedit etiam *Bœclerus*, ideo, quod Status soli, absque Imperatore, in universo Imperio, de summa Reipublicæ, nihil majesticè agant constituentque: Cæsar autem omnino hoc faciat, & solus in multis majesticè agendi & decernendi jus habeat. Nobis utut judicis partes de re inter summos viros controversa, arrogare hic non audemus; *Carpzovii & Bœcleri* tamen sententiam verioremi videri, arbitramur.

§. 34.

Sed satis hic forsitan fuerit, demonstrasse, ante *Caroli M.* tempora, Germaniam in multas parvas Respublicas fuisse divisam, quæ nullo communi vinculo connexæ, regebantur magis democraticè, quam monarchicè: Deinde verò cum *Carolus M.* illas in unum civile corpus, belli ju-
re

re redegisset, Monarchicum statum obtinuisse, etiam quando post familiam Carolingorum, necessitas electioni locum fecit in Conrado I. & à Heinrico I. rursus per Ottones successio procederet. Et quanquam à Heinrico IV. tempore per Pontifices R. & aliquot Procerum Imperii machinationes ac turbas, Imperatoria potestas monarchica valde imminuta, modusque obtinendi Imperium h. e. successio, obtrusa Pontificum præcipuè artibus electione turbatus fuit; Monarchia tamen in Germania non cessavit. Hinc post Friderici II. fata, cum propter dissensiones Principum circa electionem, non esset, in quem summa potestas statim & citra interruptionem transfret, Germania corpus aliquod dissolutum & quasi exanime factum: Quia vinculum, per quod respublica cohæret, solutum fuerat. Quo *Interregnum* h. e. regnum Rege orbem & quasi truncum, & cum eo status dissolutus confususque enatus est: id est, *Civitas sine Imperio*. Post interregnum hocce magnum in Germania & turbulentum, Rudolpho Comite Habsburgico electo Imperatore, *status Monarchicus* iterum obtinuit. Sed qui crescente Procerum Imperii potentia, per A. Bullam à Carolo IV. condita, valde mox restrictus & imminutus fuit, ut Principes ex parte in societatem Imperii assumti viderentur. Quæ Principum & Ordinum potestas deinde præscriptis Cæsari Capitulationum formulis subinde aucta, & tandem Instrumento Pacis Osnabrugensis confirmata fuit sollemniter. Quo formam Statumque Imperii pristinum mutatum fuisse, nec cum moderno, qui alius, ut supra diximus, plane est, confundi debere, quivis rerum civilium & historiæ peritus intelligit. Hæc summa dissertationis nostræ juvenilis, quam finire jam me temporis & instituti ratio habenda monet.

S. D. G.

Addi-



Additamenta.

I.

Carolus M. totam Germaniam imperio suo subjecisse, *Eginhardus* fide dignus maxime scriptor in *Vita Ejus* testatur: *Cum prius* ait, non amplius, quam ea pars Galliae, quae intra Rhenum, Ligerim, Oceanumque & mare Balearicum jacet, & pars Germaniae, quae intra Saxoniam & Danubium Rhenumque ac Salam fluvium (qui Thuringos & Sorabos dividit) postea à Francis, qui Orientales dicuntur, incolitur, & praeter haec Alemanni atque Bojoarii ad regni Francorum potestatem pertinerent; ipse per bella memorata, primo Aquitaniam & Vasconiam, totumque Pyrenaei montis jugum & usque ad Hyberum amnem, qui apud Navarros ortus, & fertilissimos Hispaniae agros secans, sub Dertosa civitatis moenia Balearico mari miscetur: Deinde Italiam totam, quae ab Augusta Praetoria usque in Calabriam inferiorem (in qua Graecorum ac Beneventanorum constat esse confinia) decies centum & eo amplius passuum millibus longitudine porrigitur: Tum Saxoniam (quae quidem Germaniae pars non modica est, & ei, quae à Francis incolitur, duplum in lato habere putatur, cum longitudine possit esse consimilis, postquam utramque Pannoniam, & oppositam in altera Danubii ripa Daciam, Histriam & Liburniam atque Dalmatiam, exceptis maritimis civitatibus (quas ob amicitiam & junctum cum eo foedus, Constantinopolitanum Imperatorem habere permisit,) deinde omnes barbaras ac feras nationes, quae inter Rhenum ac Vistulam fluvios, Oceanum & Danubium positae, lingua quidem pene similes, moribus vero atque habitu valde dissimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit, ut eas tributarias effecerit: inter quas fore
 pra-

707
cipui sunt Welatabi, Sorabi, Abotriti, Boëmanni, cum iis
namque confligit: ceteras quarum multo major est nume-
rus, in deditioem suscepit.

II.

Si antiqui codicilli à Christophoro Browero in *Annal. Fuldens. l. III. c. 12.* publicati, genuini sunt, omnino habet Thomas Reinesius *Var. Lection. l. II. c. 16.* quod gloriatur, se rem ab octo seculis ignoratam h. e. patriam Caroli M. reperisse. Nam in illis donatio Caroli M. monasterio apud Fuldenses Benedictino facta, hæc verba continentur: *Donamus & contradimus Domino nostro Salvatore, sanctoque Bonifacio Martyri, qui in Fuldensi requiescit monasterio, TERRAM CONCEPTIONIS NOSTRÆ, hoc est totam com-
provinciam CIRCA FLUVIUM UNSTRUD.*

III.

In descriptione finium Imperii consideratio geographica à politica distingvi debet.

IV.

Fines Imperii R. G. jam multo angustiores esse, quam Carolo V. imperante, historia docet.

V.

Perfidios dicente Livio IX. II. nunquam causa deficit, cur pacto non stent; sed semper aliquam fraudi speciem juris imponunt. Improbe id quidem; quia, ut Cicero ait, *totius injustitiæ nulla capitalior est, quam eorum, qui tunc, cum maxime fallunt, id tamen agunt, ut viri boni esse videantur.*

VI.

Status Imperii hodiernos, Magistratum censu habere velle, utique absurdum videtur.

VII.

Retinere Imperii Romani titulum, Germaniæ non videtur noxium.

VIII.

Robur virium Imperii, cum dispersæ illæ sint, tantum non videtur, quantum revera est.

IX.

Commune periculum docet concordiam: confer Taciti Agricol. c. XXIX.

X.

In bello consultum magis subditorum, quam exterorum uti operá.

GENEROSO VIRO-JUVENI
DOMINO
CAROLO CHRISTOPHORO
Römer / Equiti Misnico.

S. P. P.

ADAM RECHENBERG.

NON aliud studiorum genus nobiles adolescentes, ROEMERE GENEROSE, magis decere, quam quod civilis prudentiæ venit nomine, ex sapientum multorum monitis Tibi jam constare arbitror. Hoc vero ut latissime patet; ita imprimis requirit, patriæ status notitiam. Quæ cum ex proletariis, publici qui vocantur juris scriptoribus, aut historiarum compendiis comparari nequeat; satis liquet, historiam hic velut in subsidium vocandam

candam, quæ non tantum rerum & mutationum eventus, aut acta Principum, foedera, pacta, pacem bellaque hic & alibi gesta, sed simul eorum latentes causas & consilii rationes exponat. Unde postea fundamentum judicandi de rebus civilibus peti debet. Et hoc nisi fallor, in dissertatione hac Tua Juvenili cum primis attendere studuisti. Quo instituto, si non omnibus æque satisfeceris; conatum generoso dignum juvene nemo jure reprehendet. Licet enim studia hæc sapientiæ, hujusque generis exercitia non ab omnibus semper æstimentur eo pretio, quo debebant; nunquam non tamen aliquem apud æquos & prudentes viros illa invenient adplausum. Itaque insuper habitis ineptorum sententiis, strenue exsequi pergas, quæ semel recte suggesta adprobasti. Non intuendum Tibi tantum splendorem natalium & per tot decora majorum ad Te deductam nobilitatem, propono; sed artes & virtutis studium, quo primum nobilitas parta, & sine quo servari nequit. Aliis in secundis aut tertiis hæerere, ad laudes satis est; Nobilem vero in summa eniti, decet, qui & tali loco natus & prædiis majoribus instructus est. Ego DEUM veneror, ut conatus Tuos honestos adjuvet semper, porroque prosperet ex voto! Lipsiæ XXIV. Sept. M. DC. LXXXVIII.

Qvii

QATK

1456

Qui proavos atavosque refers &
nomina magna,

Ingenium nôras non satis esse jubar.

Doctrinæ prælustris apex culmenque
Minervæ

Dêerat ad ingenii laudem animi-
que decus.

Contigit & Pallas. Gemino splendo-
re coruscas:

Sic auri Pario marmore fulget
honos.

De edito specimine gratulabatur hisce
patrueli suo in paucis dilecto


CAROLUS GOTTOFREDUS Bose.



WOM

M.C.

674



...VE REVERENDO DOMINO,
 ...LINO
 ...TTFR. BOSE,
 ...ETSCHKA, NEU-
 ...BRUNNEN &c.
 ...ENTISSIMI ELECTORIS
 ...A RESCHALLO
 ...DISSIMO,
 ...GENSIS CANONICO,
 ...TRONO SUO CUM
 ...COLENDO,
 ...ONEM POLITICAM
 ...HONORIS CAUSA
 ...C.
 ...ISTOPH. Römer,

